

Jacob Lembke Gabriel Tancke

Dissertatio luridica, De Interdicta Nobilibus Negotiatione

Rostochii: Kilius, 1677

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741561301>

Druck Freier  Zugang




Handelverbot für Adelige

RU jur 1677

Jacob Sembré, Pr.

Gabriele Tanke, Rep.



Q. F. F. J. D. T.,
DISSERTATIO JURIDICA,
DE

INTERDICTA
NOBILIBUS NE-
GOTIATIONE,

Qvam

Divinā adspirante clementiā,
Auctoritate & consensu
Magnifici Ictorum Ordinis, in Alma ad Varnum Academia,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo

DN. JACOBO Lembken

ICto & ANTECESSORE FAMIGERATISSIMO,

Dn. Patrono ac Præceptore suo nunqvā non
devenerando,


publicè benevolis Eruditorum auribus, placidèq; disqui-
sitioni exponit

GABRIEL Lanche /

Wismariens. AUCTOR.

In Auditorio Majori ad diem 6. Maji. A. O. R. M. DC. LXXVII.

ROSTOCHII, Typis Hæred. JOHANNIS KILII, Acad. Typog



28

J. M. Carus

VIRIS.
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS.
AMPLISSIMIS, SPECTATISSIMIS,
DOMINIS.

CONSULIBUS.
SYNDICO.
SENATORIBUS, AC.
PROTONOTARIO.
INCLYTÆ, REIPUBLICÆ,
WISMARIENSIIUM,

DOMINIS, PATRONIS, MÆCENATIBUS,
PROMOTORIBUS, PARENTI, OMNI,
HONORIS, AC, PIETATIS,
CULTU, ETATEM,
PROSEQVENDIS.

HAS, STUDII, JURIS, PRIMITIAS, IN, PERPETUÆ,
OBSERVANTIÆ, TESSERAM.

INSCRIBIT, DICAT, CONSECRAT.

AUCTOR.



CAP. I.

AN ET QVARE NOBILIBUS
ADEMPTA SIT NEGOTIATIO?

§. I.



Sicut de Jure nostro communi severè prohibitum, ne mercatores Nobilium negotiis, muneribus atq; honoribus se immisceant, ita vicissim Nobilibus injunctum, ut à mercatura ac negotiati-
one abstineant, & sic omnis honos à contage-
ione hujusmodi segregetur, id quod com-
muniter Doctores uno quasi ore asserunt, ac
probant per l. 3. C. d. commerc. & mercat.

l. 12. §. fin. C. de Cohortal. Princip. l. un. C. de perfectiss. dignit. l. 2. C. de Re milit. l. 6. C. de Dignit. l. 1. C. de prapof. agent. in reb. l. un. C. Negot. ne mil. Accedit Ordin. Camer. part. 1. tit. 6. pr. Recest. Imper. de An. 1654. §. hingegen aber. 141. A quo non abhorrere quoq; jus Saxonicum, adeoq; in foro Saxonico idem obtinere putat Carpzov. Jurispr. forens. pars. 2. Const. 6. def. 4. n. 6. & seqq. Et jam olim ita à Scabinis pronunciatum fuisse constat ex sententia in Reichbild sub Tit.

Ob Edelleut auf ihren Lehn-Gütern mögen Bier brauen und außschenden lassen/ pag. 15. fac. 2. ibi das die Erbahre Mannschafft Bier zuverkauffen oder außzuschenden/ noch andere bürgerliche Nahrung zu treiben/ gar nicht Zug noch Recht haben.

Qua de re hodie in Electoratu Saxoniz dubium amplius esse nequit, ob claram Augusti Electoris sanctionem in Ordinat. Provinciali de Anno

42

1555. sub

1555. *sub tit. von brauen/ schenden/ und andere bürgerliche Hand-
tierung auf dem Lande.* Addatur Rauchbar. p. 2. *Quaest. 12. n. 6.*
& Berlich. *Decis. 31. n. 1.*

§. 2. Hanc quidem, praesertim Juris civilis assertionem, du-
biam facere videtur Constitutio Constantini in *l. final. C. de Jurisdic-
t. omn. jud.* eo, quod ibidem illis personis, quae cujuslibet militiae seu Cin-
guli vel dignitatis quaedam prerogativa gaudent, negotiatio, praeter
militiam, permittatur, dum in collegium negotiatorum admittun-
tur, & jurisdictionem ac praerogationem judicium, ad quos earum pro-
fessionum seu negotiationum cura pertinet, declinare prohibentur; verum
cum nullo modo credendum, totam illam discriminis observantiam in-
ter honestiores ac viliores professiones, tot constitutionibus stabilitam,
tantisque curis excogitatum, hac unica Constitutione & incidenter quasi
fuisse eversam *arg. l. 35. pr. C. d. inoffic. test. l. un. C. de inoffic. dot.*
distingvendum putamus, inter regulam & exceptionem. Erit ergo
hac lex vel restringenda ad illos, sive togatos sive sagatos milites, qui
negotiaandi facultatem à Principe specialiter impetrarunt, ut vult Brū-
nem: in *d. l. fin. C. de Jurisdic. omn. judic.* vel ad duos illos casus ex-
ceptos in *l. un. C. negotiator. ne milit.* quibus contingit, ut negotia-
tores ad militiam, & vice versa, adspirare possint: (1) enim Argen-
tarii, quamvis non ad armatam, ad civilem tamen militiam admittun-
tur; (2) negotiatoribus armorum, non quidem ad quamcumque; civilem
militiam, ad fabricensium tamen, aditus patet; cui responsioni, licet
satis obscure, consentire videtur Franc. Pfeil. *Consil. 202. n. 32.*

§. 3. Aliter quidem adhuc respondet Glossa in *object. l. fin.
C. d. Jurisdic. omn. Jud. in verb. militiae*, & ejus auctoritate Sichard.
ib. n. 4. quod nempe dictae legis textus sit intelligendus de militibus
tantum inermis militiae, vel illis qui non sunt alicui jurati, & actu de-
gunt sub vexillis; verum quis non videt, hanc resolutionem vel ipsi
verbis legis repugnare? primum n. illa aperte loquitur non tantum
de militibus armatae, sed maxime inermis etiam militiae, qui dignitatis
praerogativam aliquam praetendunt, & dignitatis honore spo-
liari possunt, nec tantum de militibus missis, verum & de illis, qui in
quacumque militia connumerati sunt & cingulo privati quaeunt, quos ad-
huc juratos & *sub vexillo degere necesse est.*

§. 4.

§. 4. At verò cum jam probatum sit, Jure communi pariter ac Saxonico prohibita Nobilibus commercia esse, non abs re quoq; erit, si inquiramus porro in rationem hujus prohibitionis, simulq; videamus rectene ac justitiz æquitatiq; convenienter hæc facta sit interdictio *arg. l. 17. ff. de Legib. can. 5. dist. 68.* Quod affirmare eqvidem non dubitamus; quoniam autem veritas agitata sæpius, magis resplendescit in luce *can. 7. caus. 35. quest. 9.* primùm afferamus ea, quæ in contrarium adduci & affirmativæ veritatis splendori officere posse videntur. Et quidem primùm movet, quod omnes pene contractus omniaq; commercia ex Jure Gentium profluant §. 2. *in fin. Inst. de Jure Nat. Gent. & C. l. 5. ff. de j. & j.* ea vero quæ sunt Juris Gentium omnibus patere, & licetiam Nobilibus permittita atq; communia esse debent, nec interdici vel adimi poterunt *d. §. 2. J. de Jure Nat. Gent. & Civ. §. 2. & 4. Inst. de R. D.* Unde in *l. 2. C. de præd. & omnib. reb. navicular.* dicitur, quod interciperi contractum emendi uendendiq; fas prohibeat (2) Notum est commune illud non solum juris Civilis, sed & divini axioma, quod cuiq; libera ac illibata relinqui debeat rerum suarum administratio *l. 21. C. Mandat. Martib. 20. v. 15.* quam nec Princeps auferre possit *l. 2. ff. & §. 2. Inst. de his qui sui vel alieni jur.* quapropter in *l. 2. ff. si à parent. quis manumiss.* iniquum esse traditur, ingenuis hominibus non esse integram rerum suarum alienationem.

§. 5. Sic quoq; (3) pœna dicitur non minima, si quis abstinere negotiationibus, artificio ac contractibus jubeatur *l. 9. §. 9. & 10. ff. de pœn. l. 6. §. 4. de off. Præsid.* pœna autem Nobilibus innocentibus, & qui nihil admiserunt, non est infligenda *d. l. 6. §. 4. de offic. Præsid. l. 2. §. pen. l. 6. ff. de decur.* (4.) jure Naturæ æq; ac Civili culibet licet in & ex rebus suis facere, quod sibi prodest, etiamsi forte per consequentiam alteri noceat, dummodo non principaliter hoc agat, ut alteri damnum vel incommodum creetur *l. 24. §. fin. l. 26. ff. d. damno infecto l. 14. pr. ff. d. præscript. verb. l. 3. §. 7. ff. d. incend. ruin. naufr.* Facit (5.) quod Imperatores, Reges, Principes aliiq; in summo dignitatis atq; honoris fastigio constituti mercaturæ exercitio incubuerint quemadmodum de Tarquinio Prisco, Dionys: Halicarnas: *libr. 3. de Vespasiano, Svet: in ejus vita* de Perthinace, Jul. Capit. *in ejus vita* de Solone, solo ex septem Sapientibus Legum Scriptore, Plutarchus *in ejus vita* scriptum reliquere: quibus

hodie Veneti, Florentini & Genuenses Nobiles accedunt, qui libere & citra Nobilitatis detrimentum mercaturas exercent. Mynsing: *cent. 6. Obs. 54. n. 12.* (6) deniq; accedit, quod, etsi tandem concedatur Nobilibus aliqua ratione ademptam esse negotiandi potestatem, consuetudine tamen huic juri videatur derogatum, dum hodie commercia hinc inde colunt Nobiles, imò suos subditos cogunt, ut à se emant, connivente tamen Magistratu. Hinc Cluver. *libr. 1. antiquitat. German. cap. 18.* Nobilitatem Germanicam, tradit, mercaturam nullo seculo exercuisse, nisi hoc postremo.

§. 6. Sed his & similibus non obstantibus, confirmatur nihilominus affirmativa nostra sententia (1) ex ratione quæ in ipsa *l. 3. C. de commer. & mercat.* suppeditatur, nempe propterea Nobilibus negotiationem esse prohibitam, ut inter plebejos negotiatores facilius sit emendi vendendiq; commercium, ne Nobiles bonis, opibus omniq; facultatum amplissimarum copia abunde referti, totam commerciorum utilitatem ad se trahant & infirmiores negotiatores vel plane opprimant, vel certè eo redigant ut mercaturam omnino deserant; quinimo ne miseram plebem, carius fortean pretium mercibus decernendo, circumveniant, id quod sua natura improbum & Reip. imprimis noxium esse nemini non apparet. *Prov. cap. 11. n. 26.* Hinc laudabiliter satis Theophilus Imperator Orientis egisse fertur, qui, cum percipisset navem, mercibus onustam, appulisse, quæ ad Augustam conjugem suam Theodoram, compendium ex commercio vel negotiatione facturam, pertineret, ilico concremari illam jusit, objurgationeq; addita uxorem castigavit: Cum me Deus, inquires, Imperatorem designavit, Tu me nauclerum facere contendis? Scito autem mercaturam privatis hominibus esse concessam, ut ea tolerandæ vitæ occasionem habeant; Quod si nos præter Imperii opes & Imperii emolumenta interceperimus, undenam fortunæ & sortis tenuiores victum comparabunt? *Calvis. in Chronol. sub anno 830.*

§. 7. Huic addi (2) potest quod non leve in eo Reip. commodum consistat ut civitatibus bene sit, ut sint opulentæ, ut populosæ, ut munitæ *arg. l. 9. §. f. C. de natur. lib. l. pen. C. commun. de manumiss. l. 4. C. ex quib. caus. Maj. l. 22. ff. eod.* quorum nihil nisi ex relicta civibus commerciorum commoditate assequi licebit. Uade est quare Carion *lib. 5. Chr. p. 81.* scribat gubernationis nervo belli pacisq; tempore apud civitates esse

esse, si florent legibus, iudiciis, libertate & opibus. *Mev. ad Jus Lubec qv. s. n. 35.* Facit huc iudicium Magni cuiusdam Principis, quod allegat *Tab. de jur. Cerev. cap. 3. §. 2.* (3) Cum & inferioris fortunæ hominibus superiorum ordinum officia, honores ac dignitates attentæ re- propter vilitatem, quæ, ex negotiationum officiorumq; tractatione, laborare iudicantur, severè prohibitum sit *l. un. C. Negot. ne milit. l. un. C. de perfectiss. dignit. l. 6. C. d. dignit.* ne dignitas ipsa illiberalis quæ- stus vilitate sordescat, ita vicissim in superiore sorte positus haud quæ- quam permitti debet, ut & inferiorum more, compendia vilia simul faciant, & pristinum ordinis splendorem, quem talia perpetrando de- formarunt, retineant: fit enim sic (4) confusio tam Status publici & privati, quam subditorum eminentium & inferiorum, quo respe- xisse videtur Poloniae Rex Sigismundus, quando Nobilibus non nul- lis, negotiandi licentiam petentibus, respondit: oportet me in Regno triplex habere hominum genus *Rusticos* puta, qui agros colant, *Nego- tiatores*, qui necessaria importent & exportent, *Nobiles* deniq; qui me & patriam tueantur, teste *Keckermanno libr. 1. System. polit. cap. 14. Quid?* (5) è contrario æquum est, ut qui à Rep. ornantur & aluntur, solis debeant utilitatibus publicis occupari, nec mercimoniõrum quæ- stui insudare, ut quotidiano armorum exercitio ad bella se præparent *l. 15. C. de re milit.* Videantur prolixiora apud *Klock. de Erar. libr. 2. cap. 25. n. 12. 13. & seqq.* *Francisc. Pfeil. Consil. 202. n. 30 & seqq.* *Tabor. de Jure Cerevis. cap. 6. §. 7. Mev. p. 2. Decif. 2. Carpz p. 2. Const. 6. def. 4. Myns. cent. 6. observ. 54. n. 5. & seqq.* *Tiraquev. de Nobilitate cap. 33. Limn. Tom. 1. jur. publ. lib. 6. cap. 5. n. 76. & seqq.* *Arum. Discurs. Acad. de jur. publ. concl. 30. lit. 6.* *Keckermann. cit. loc. Reinhard. Konich. Theatr. polit. pars. 1. cap. 1. n. 292. & seqq.* *Marquard. de Jure Mercat. lib. 1. cap. 10.*

§. 8. Nec deest quod ad argumenta supra in contrarium ad- ducta reponamus: nam ad 1. respondemus: Quamvis originem de- beant Juri Gentium commercia, tamen, cum hoc de iis nihil disposu- erit, sed Principis arbitrio ac potestati reliquerit, poterit is commer- cia quidem non in totum tollere, sed tamen quoad partem, tam fatio- ne personarum, quam rerum ex singulari causa, pro utilitate & com- moditate Reipubl. limitare & moderare *arg. l. 14. C. de contrab. empt.* *Mev. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 6. art. 12. n. 1.* *Strach. de Mercat. part. 4.*

n. 44. § 10. Carpz l. 1. Resp. 42. n. 16. 17. § 20. Quinimo negotiationem,
quamquā sit Juris Gent. quibydā tamē nostro Jure adimi posse luculen-
ter apparet ex l. 1. § 3. ff. de offic. Praef. Urb. l. 9. § 9. ff. de pæn. l. 3. de va-
cat. § excusat. mun. vid. Strauch. de cent. lapid. urbian. § 13. n. 9. Nam
non immensa nec effrenis omnino commerciorū inter homines liber-
tas est, sed dominantiu Legū & Magistratuū arbitratui ac moderationi
subjecta, ut, licet pro sua quisq; libidine alter alterum prohibere & im-
pedire non possit, tamen si quis contra Legum & Magistratum præ-
scripta nitatur, interposita Magistratus auctoritate, recte cohibeatur.
Franc. Pfeil. conf. 202. n. 57. Sic quoq; venationem novimus esse Ju-
re Gent. introductam § 12. Inst. de Rer. Div. quæ tamen hodie ita re-
stricta certisq; circumscripta limitibus est, ut non tantum non in fundo
alieno, sed nec in proprio quidem privati pro lubitu venari liceat
Heig. part. 1. quæst. 15. n. 33. § seqq. Carpz prax. crim. part. 2.
quæst. 84. n. 11. § seqq. Schultz. in Synops. Instit. tit. de R. D. lit. b.
Imo, quamvis littorum usus sit Juris Gentium § 5. Inst. de Rer. Di-
vis. l. 2. ff. eod. hodie tamen anchoras alienis littoribus sine Prin-
cipis concessione injicere non licere, putant Alexand. lib. 6. conf. 13.
Bodin. libr. 1. de Rep. cap. 10. & novissime Klock vol. 1. Conf. 5.
n. 25. Ad (2) sciant contrariæ sententiæ ad stipulatores, quod
quidem quisq; rerum suarum moderator atq; arbiter sit, sed legiti-
mus, quatenus nempe lex ipsa vel ejus Custos Magistratus non prohi-
bendo id permittit l. 14. C. de contrah. empt. vendit. Cum autem in-
ter sit Reip. ne quis rebus suis libere utento publico noceat, huic arbi-
trio modū à lege præscribi aliquando necesse est § 2. Inst. De his qui sui
vel alieni jur. sunt. Ibiq; Vinnius in Comment. n. 3. Unde & non ob-
scura in jure nostro testimonia passim occurrunt, quod nec cuivis,
nec res suas quasvis, nec quolibet modo, loco & tempore, retinere aut
distrahere liceat, Magistratu, ad utilitatem & necessitatem publicam,
inhibente l. 35. § 2. ff. de contrah. empt. vendit. l. 1. § 11. ff. de offic. Praef.
Urb. l. 24. ff. d. pignor. l. 12. ff. de religios. l. 13. § 17. ff. de act. empt. l. 66.
ff. de Leg. at. 1. § 2. Inst. d. his, qui sui vel alien. jur. l. ult. C. d. pa-
trib. qui fil. distrax. l. un. C. d. vendit. rer. fisc. l. 2. C. pro quib. caus.
serv. pro prem. libert. l. 2. C. ut nemin. lic. in empt. spec. Franc. Pfeil.
d. consil. 202. n. 59. Brunn. in l. 21. C. mandat. Confer. Colleg. Ar-
gentor. tit. de contrah. empt. vend. th. 32. Koppen. Decis. quæst. 59.
Valasc. tom. 1. Consult. 22. Covarruv. lib. 2. resal. cap. 14.

§. 9.

§. 9. Sic quoq; ad 3. regerimus, quod, quamvis poena sit prohiberi & negotiatione licita & convenienti, quæ in nocētibus irrogari nō debeat, ab illicita tamen atq; indecora, ob honestatē & utilitatē publicā, prohiberi, à qua & alijs prohibitis abstinere debebat, poena dici nequeat, sed potius iustitiæ æquitatēq; administratio, quæ nullam infert alias innocenti injuriam l. 13. §. 1. & 6. ff. de injur. l. 106. §. 1. ff. de R. J. Imo, sine culpa, modo alia subit justa causa, aliquis interdum puniri potest, ut apparet ex cap. 13. de Reg. jur. in 6. l. 5. §. 1. & seq. C. ad Leg. Jul. Majest. c. 11. X. de spons. c. 1. dist. 70. c. 7. caus. 2. quest. 5. c. 9. 10. & seqq. dist. 34. Vid. Pet. Peck. ad Reg. Jur. can. Reg. 18. n. 15. Circa 4. notandum, quod quidem in suo cuiq; quidvis facere integrum sit, etiamsi alteri per consequentiam incommodum creetur, quatenus jure facit, & legibus, justa ratione latis, non prohibetur, tum enim bona fide id facere præsumitur: verum contra legum & Magistratum interdicta nemini quicquam licet. Et sic qui contra Jura mercatur, bonam fidem habere non præsumitur, arg. cap. 82. de Reg. Jur. in 6. l. 7. in fin. C. de Agric. & Censit. Pfeil. dict. Conf. 292. n. 61. Nec minus ad 5. habendū, quod non Exemplis sed legibus apertis & certis sit judicandum, nec spectandum, quid in alijs regnis vel Provinciis ex necessitate forte vel consuetudine, quæ legis obtinet vigorem §. 9. J. de Jur. N. G. & C. Myns. cent. 6. observ. 54. n. 11. fiat, sed quid de jure in nostro Imperio Romano-Germanico fieri debeat. l. 12. ff. de offic. Præs. l. 13. C. de sentent. & interloc. omnium jud. Menoch. vol. 10. consil. 996. n. 27. Klock. vol. 2. Conf. 410. n. 207. & seq. Quod deniq; ad 6. attinet omnino negamus consuetudine huic juri derogatum esse: est enim consuetudo facti, c. 1. de cons. in 6. & proinde non præsumitur sed probanda est l. 32. & 34. ff. de Legib. ibiq; Bart. Bald. & Jason. l. 1. C. Quæ sit longa consuet. Gail. l. 2. observ. 31. n. 14. Malcard. de probat. conclus. 413. n. 26. Carpz. part. 2. Const. 3. def. 22. nec privatum, clancularium, non continentium & uniforme paucorum factum, quod ex ignoantia, socordia & conniventia Magistratus aliquando admissum est, ad universalem legis generalis abolitionem sufficere poterit d. l. 32. l. 39. ff. de Legibus c. fin. X. de consuet. Carpz. cit. loc. Pfeil. de cons. 202. n. 100. & seqq. Plane: Jcti jam allegati & infra allegandi, variis præjudiciis adductis, clarissimè testantur, huic juri nequaquam esse derogatum, sed id in viridi adhuc subsistere observantia.

CAP. II.

QUINAM HIC NOMINE NOBILITUM
VENIANT, ET QUIBUS PRÆTER
NOBILES NEGOTIATIO IN-
TERDICTA.

§. 1. Cum jam satis probatum dederimus, quod rectè adema-
pta Nobilibus sint mercimonia, operæ pretium erit, ut de ipsis Nobi-
libus paucis agamus & ostendamus, quinam appellatione Nobilitum
contineantur *arg. l. 13. §. 3. ff. de reb. dub.* At quoniam non verbis, sed
ipsis rebus leges imponuntur *l. 2. in fin. C. commun. de Legat. l. 28. C.
d. usur. non usq;* adeo solliciti erimus de nomine seu notatione Nobi-
lis: sufficiat plerisque probari, illud descendere à *Noscendo quasi nosci-*
bilis, eò quod præter cæteros virtutibus notus, clarus, illustris, spectabilis
conspicuus, dignitatisque ac præminentie splendore insignis sit Tira-
qvell, *de Nobilit. c. 2. n. 3.* Otto de *J. P. cap. 19. Arum. in Discurs.
Acad. 16. conclus. 1.* Sonsbeck, *de Feud. part. 7. n. 20.* quam derivatio-
nem non tantum quandam grammaticam, verum etiam notationem
nominis logicam esse, dicit Josias Nold, *de Stat. Nobil. cap. 1. con-*
clus. 1. th. 1.

§. 2. Accipitur verò vocabulum Nobilis vel in significatione
latiori, pro omni eo, quod in unoquoque genere propter suam excellen-
tiam primas fert, & sic vox nobilis est una ex illis, quæ mediæ dicuntur,
& communis est ad bonum & malum ad honestum & turpe, adeo ut
& gladiatorem ac meretricem nobilem dici constet, dummodo in sua
professione excellent. Limn, *de Jur. publ. tom. 1. libr. 6. s. 1. n. 6.* Ar-
niseus *lib. 1. Polit. cap. 12. vel strictiori* pro persona, quæ legitime ple-
beja conditione exempta & per gradus erecta est propter virtutem.
Schultz, *de statu rei Rom. Diss. 9. th. 2.* & tunc iterum consideratur vel
genericè, quatenus & illi Nobiles dicuntur, qui alias majori dignitatis
ac honoris titulo, modò Duces, modò Marchiones, modò Comites,
modò Barones salutantur *arg. c. 2. ibi: Nobilem virum Comitem de
supplend. neglig. prelat. in c. c. 46. ibi: Sororis Nobilis viri Mar-*
chionis X. de Testib. Tiraqvell, *de Nobil. c. 6. n. 51.* Ludov. Schrad, *de
feud. part. 10. sect. 7. n. 59.* Josias Nold, *cap. 1. conclus. 2. th. 4. vel spe-*
cificè

eificè, quomodo demum Nobiles dicuntur, qui primum à Barõnibus occupant locum. Otto de Jure publ. dict. cap. 19.

§. 3. Horum iterum in Imperio nostro Romano-Germanico alii sunt *mediati*, qui Principibus & Ordinibus *immediatè*, Imperio autem *mediate* subjeãti sunt, quibus inter varia secundum varias Regionum consuetudines sunt differentia, uti videre est apud Limn. *de Jure publ. libr. 6. c. 4. n. 1 & seqq.* Alii *immediati* qui nullos Principes aut Ordines pro Magistratu agnoscunt, sed soli subsunt Imperatori, vocanturq; Nobiles *Liberi* vel *Primarii*, Die freyen Reichs- u. von Adel/ die freye Mitterschafft/ welche ohne Mittel der Kayserslichen Majestet und dem Reich unterworffen. Rec. Imp. August. de Anno 1555. §. Und in solchen Frieden/ 26. Rec. Imp. Ratisb. de Anno 1576. §. Dann weiter wollen wir 23. Ordin. Cam part. 2. tit. 5. qui ratione territorii seu loci, ubi degunt, in tres classes distribuuntur (1) Franconicam (2) Svevicam (3) Rhenanam, Rec. Imper. spir. de An. 1542. §. Demnach haben wir 58. Rec. Imp. Ratisb. de an. 1500. tit. 46. vid. Limn. p. 6. cap. 3. & 4. Otto de Jure publ. c. 19. Schütz de Stat. Rei Rom. Diss. 9. th. 9.

§. 4. Porro, auctore Schonborn. lib. 2. polit. cap. 39. & Reinhard. König. Theatr. polit. part. 1. cap. 1. n. 271. tres referuntur Nobilitatis gradus: primò collocantur locò, qui non Majorum tantum dignitate & natalibus, sed & sua virtute Nobiles sunt, armis vel literis ejusmodi claritatem adepti, In secundo gradu conspiciuntur ii, qui non natalibus & progenitorum, sed sua tantum virtute sive sagata sive togata Nobiles esse merentur, accedente legis seu Principis beneficio. Tertio tandem ordine sunt, qui de natalium splendore Majorumq; tantummodo gloriantur imaginibus, pictosq; eorum ostentant vultus, propria virtute vacui; ad quos pertinet illud Ovidii ad Pisonem:

perit omnis in illis

Gentis bonos, quorum laus est in origine sola.

Unicum enim & solidum Nobilitatis fundamentum constituit Virtus, ut copiose persequitur Tiraquell. de Nobilit. cap. 4. Confer. Arum. Discurs. Acad. de jur. publ. 16. conclus. 9. n. 217. Nold. cit. loc. cap. 3. §. 22. 25. & seqq. Reinhard. König. c. l. n. 132.

§. 5. Confertur autem Nobilitas vel *expressè* vel *tacitè*. Ex-

B 2

pres-

preſſe v. g. Si vel Princeps, qui nobilitandi facultate conuſcat, gladio, vagina vacuo, leniter nobilitandorum humeros percutiat, dato cingulo atq; enſe, wenn einer wegen ſeiner Tugenden und tapferen Thaten zum Ritter geſchlagen wird arg. l. 2. C. de primicer. l. f. C. d. comit. rei milit. l. un. C. d. Equestr. dign. vel ſolemnibus verbis, aut collatione diplomatum voluntatem ſuam expreſſe declaret, und ein nem wegen ſeiner tapferen Thaten einen Wapen-Brief ertheilet. arg. l. 3. §. 2. C. ubi Senat. vel clariff. Vid Schütz. cit. diſp. 9. th. 4. lit. b. Arum. cit. loc. concluſ. 12. §. 13. Joſ. Nold cap. 6. Quæ nobilitandi conſuetudo, cujus hodie frequens in Aula Cæſarea eſt uſus, non nuper ſimo ſed jam Zenonis antiquiſſimo tempore cepiſſe fertur à Conrad. Lago in Method. Jur. Civ. c. 29. n. 11. Paurmeiſter lib. 1. de Jurisdict. cap. 29. n. 30. Hinc facile apparet, quod & Patritii civitatum die Geſchlechter / ſi illorum nobilitas à Principe confirmata & privilegiis donata eſt, pro veris habeantur Nobilibus. Cæteri verò proprie Patritii non ſunt, ſed putati & perſonati ſaltem, cum peculiari forte civitatis conſuetudine Nobiles ſolum cenſeantur, unde Domi Nobiles dicuntur, Germanice Stadt-Junker / quod in loco conſuetudinis tales ſint, extra non item. Vid. Joh. Ulric. Wolf. Diſp. polit. 12. th. 12. Otto de Jure publ. cap. 19. Belold. l. 1. Polit. cap. 11. n. 48. v. 3.

§. 6. Taci. e Nobilitas potiffimum conferitur 1. Si Princeps lateri ſuo adherere quempiam patiat, dum illum in Cancellarium vel Conſiliarium ſui Palatii aſſumit, quales ſeſe præbent, qui præſunt Aulico Conſilio Cæſariis Die des Kaysers Rächte ſeyn / am Reichs-Hoff-Racht / oder am Kammer-Gericht / l. un. C. de præpoſ. lab. l. 1. C. de domeſtic. §. proreſt. qui etiam ab ipsis Imperatoribus Parentes Reip. & Imperatorum vocantur l. fin. C. de Conſul. l. 4. C. de locat. conduct. §. 4. Inſt. Quib. mod. jus patr. poteſtatis ſolv. : & unū cum ipsis corpus conſtituere dicuntur l. 5. C. ad Leg. Jul. Maj. Schütz. d. Diſp. 9. th. 4. l. c. Nold. cap. 5. §. 1. §. 2. Tiraquell. cap. 6. n. 10. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 15. n. 22.

§. 7. Tecitam 2. quoq; conſequentur Nobilitatem, qui vel ab ipſo Principe, vel cum is ubiq; eſſe nequeat l. 7. C. de prof. §. Med. à Collegio Doctorū in Jurisprudencia Doctoratūs vel Licenciatus honoribus condecorantur, arg. l. 1. §. 1. C. de Vet. Jur. enucl. c. 22. de præbend. in 6.

Hinc

Hinc illi ultro citroq; in jure nostro non tantum *Nobiles & Nobilissimi* l. 2. §. *fin.* l. 4. §. 1. in *fin.* ff. de *excusat. tut.* l. 7. C. d. *postul.* dicuntur, sed iisdem cum coeteris Nobilibus, expresse Nobilitatem adeptis, gaudent privilegiis. Rec. Imper. August. de *an.* 1500. tit. 22. §. *Item Die von Adel/ so noch nicht Ritter oder Doctores sind/* 7. Reform. pol. August. de *anno* 1530. tit. 14. §. 15. & de *anno* 1548. tit. 11. §. 12. Ord. pol. Francof. de *anno* 1577. tit. 11. §. 12. Ord. Cam. *part.* 1. tit. 13. §. 2. in *fin.* Rec. Imp. Spir. de *anno* 1577. §. *Weiter nach dem* 18. Vid. latissime Arum. *Disf. Acad.* 16. *concl.* 14. Schüz. *cit.* 1b. 4. lit. C. Guido Papæ *Decif.* 390. Lauterbach. *Tract.* de *arm.* *Glir.* n. 11. §. *seqq.* Nold. *cit.* cap. 5. §. 3. Tiraqvell. *cap.* 5. n. 3. Deniq; 3. Nobilitatem tacite quoq; consequuntur, qui de feudo Nobili; veluti Ducatu, Comitatu, Baronatu &c. cum annexa jurisdictione à Principe investuntur, 2. *Feud.* 10. Vid. Tiraqvell. *cap.* 7. Arum. *conclus.* 16. Vultej. *libr.* 1. *Feud.* cap. 8. Nold. *tit.* cap. 5. §. 4. Rosenthal. de *Feud.* cap. 1. *quest.* 2. n. 9.

§. 8 His ergo generaliter & majoris perspicuitatis gratia præmissis, concludimus tandem, quod omnibus omnino jam recensitis Nobilibus mercimonium, Civitatibus damnosum & nocivum, sit interdictum. Et quidem de Nobilibus, quos Natalium prærogativa extulit potentioresq; constituit nullum restabit dubium, ob verba clarissima initialia d. l. 3. C. de *commerc.* & *mercat.* videndum tantum de iis, qui ob virtutem atq; merita Nobilitatem vel expresse vel tacite sunt adepti. Et quamvis scrupulum quendam injiciat primo intuitu inspicienti d. l. 3. quod initio loquatur de Nobilioribus Natalibus, illaque vox adjecta videatur ad differentiam seu distinctionem eorum, qui virtute tales sunt arg. l. 19. *ibi Nobiles & probata persona* C. de *Testam.* Tabor de *Jure Cerev.* cap. 6. §. 4. illum tamen facile eximunt (1) verba legis subsequencia: *honoram luce conspicui*, quibus & coeteros, virtute & meritis tantum, quanquam non natalibus Nobiles prohiberi apparet arg. l. *un.* C. de *honorat. vebic.* (2) Ratio prohibitionis eadem, ne nempe difficilius inter plebejos & negotiatores constituatur commercium; pariter militat in Nobilibus honorum ac natalium luce conspicuis; ubi autem rationis identitas, ibi eadem quoq; esse debet juris dispositio l. 32. ff. ad *Leg. Aquil.* l. 9. §. 2. d. *Edend.* l. 1. C. de *liber. præ.* Accedit (3) quod, generaliter loquendo, Nobiles meritis & virtute tantum, iisdem perfruantur juribus, quibus

Nobiles ruralibus; proinde & in hoc casu separari non debent. Vid. Jos. Nold. *cap. 5. §. 3. n. 38. Arum. conclus. 14. lit. b.*

§. 9. Nec interest; utrum in villis degant Nobiles, an in urbibus habitent: nam & hi, quatenus ut tales considerantur, æq; atq; ruri viventes, imo vel perniciosius detrimentum plebejis cæteris, in urbe degentibus, negotiatione sua inferre possunt. Quid? quod cum Nobilitas non loco, sed genere & virtutibus distingvatur *arg. l. 16. C. de præd. minor. l. 166. ff. de V. S. Matth. Stephan. de Nobil. cap. 3. n. 4. Guttier. lib. 3. §. 4. præf. quæst. 13 n. 46. & seq. tantum abest ut Nobilitas incolatu urbano vel tollatur vel imminuatur, ut potius in jure nostro propter morum civilitatem, rerumq; peritiam in majori pretio olim urbani haberentur. Auth. Præsidis C. de Episc. Audient. Vid. Mev. part 7. Decis. 70. Tiraq. cap. 2. n. 54. & seqq. Arum. conclus. 32. lit. e. Nold. cap. 18. §. 2.*

§. 10. Eandem prohibitionem & ad viduas Nobilium extendimus. Præterquam enim, quod ratio prohibitz negotiationis & in iis locum inveniat, notissimum quoq; est, quod vivas defunctorum maritorum imagines repræsentent viduæ. Bald. *in l. pen. C. de pi-gnor. actione.* Francisc. Pfeil *consil. 78. n. 161.* quod dignitatem & Nobilitatem retineant *l. 8. ff. de Senat. l. 10. C. de nupt. l. 13. C. de dignit. l. 9. C. de incol. cap. 3. de sepultur. in 6. Tiraq. de Nobil. cap. 18.* & generaliter, quod maritorum juribus, quæ viventibus iis, habebant, deinceps quoq; utantur, & eodem prorsus jure quo erant, cum uxores essent, censeantur; quam sententiam communissimis, votis atq; suffragiis Doctorum & juris Civilis & Canonici esse communitam prolixè satis ostendit Cothmann. *Respons. Acad. 15. n. 25. & seqq.*

§. 11. Cæterum ut hoc propter cognationem nostræ materiæ addamus, & ipsi Clerici, quibus alioquin ob devotionem ac ardorem erga religionem tot tantisq; privilegiis atq; immunitatibus Imperatores prospexerunt *Mev. ad Jus Lub. quæst. prælim. 3. n. 8. Franc. Pfeil. Consil. 202. n. 34. à mercimoniis abstinere jubentur can. 9. §. 10. Distinct. 88. can. 3. & 6. caus. 14. quæst. 4. cap. 15. §. 16. X. de vita & honestat. Cler. in quocunq; etiam gradu sint positi can. 1. caus. 14. q. 4.* Hi quippe suis solum functionibus, ad divinum cultum, contemplationem atqve orationem destinatis, maucipati, secularibus negotiis, quibus iude facile avocari queunt, immiscere se haud debent *2. ad Timoth. 3. vers. 14.*

§. 4.

§ 4. vers. 2. § 5. can. 7. caus. 12. quest. 1. tot. tit. § c. 6. X. ne cler. secul. neg. se immisc. quoniam absurdum est, si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alii creditum alii subtrahant *l. 23. C. de testam.* Adde quod negotiationes, vix fiant sine peccato. *Siracid. cap. 26. vers. 28. § cap. 27. v. 2. can. 11. distinct. 88.* & rationes contra Nobiles adductæ non parum hic quoque stringant. Vid. hac de re latius Gvilielm. Redoan. *de spoliis Eccles. quest. 8. à n. 33.* Simon Pistor. *Consil. 3. q. 2. n. 11. § seqq.* Strach. *de Mercat. parr. 3. n. 4* Et quoniam Clericorum nomine Academici veniunt, eorumque jure utuntur *Mev. ad Jus Lub. qu. pralim. 3. n. 14.* Horat. Lucin. *de privil. Scholar. in pref. n. 31.* Hinc quod de prohibita Clericorum negotiatione dictum, ad hos quoque merito pertinet. Vid. *Cothmann, Respons. Acad. 32. n. 14. Resp. 15. n. 20. § Resp. 40. n. 13. § seqq.*

§. 12. Succedunt milites itidem armati, quibus non magis concessum negotiationem exercere, quam superius adductis: tum ne occasione Mercaturæ, & lucri quærendi ab armis secedant: qui enim fieri potest, ut negotientur milites simul & hostibus resistent, rationes suas & simul excubias agant? tum ne occasione militiæ aliis sint graves *l. 31. Sult. C. de locat. cond. l. 15. l. 16. C. de Re militari l. un. C. negotiator. ne milit. ibiq. Perez. in prelect. n. 2.* Strach. *de mercat. p. 3. n. 12.* *Christin. vol. 5. Decis. 177. n. 8. § seqq.* Sed quid de Rusticis an? & his æque ac cæteris mercimoniorum tractatio erit adempta? Illud quidem negare videtur Hieronym. Schurff. *cent. 1. Consil. 31. n. 2. § 3.* duplici adducta ratione, (1) quod rusticis neque de Jure communi neque Saxonico commercia reperiantur prohibita, & proinde sine lege loqui erubescendum sit *Nov. 18. cap. 5. l. 5. C. de repud.* (2) quod solum Nobilibus à jure conspiciantur adempta mercimonia, unde unius inclusio alterius sit excusio *l. 12. ff. de Judic. l. 21. d. procurat.*

§. 13. Sed illo non obstante, contrarium rectius asserimus cum *Carpz. p. 2. Const. 6. def. 5.* cui consentit *Mev. ad Jus Lubec. l. 3. tit. 6. art. 7. n. 22.* Quod enim primum Nobilibus, ceu Magistratui Rusticorum non licet, illud multo minus rusticis, tanquam subditis Nobilium erit concedendum. *arg. cap. 23. X. de testib. can. 16. caus. 8. quest. 1.* deinde, concessa rusticis liberâ negotiandi facultate, abstraherentur eorum plurimi ab agricultura, illamque vel plane desererent, vel segenius tractarent. Denique illorum negotiatio, sicut & Nobilium, non parum quoque in detrimentum vergeret atque incommodum urbium,

quod

quod non est indulgendum *arg. l. 3. C. de commerc.* Et parum stridunt Schurffii argumenta. Ad (1) enim responderi poterit, quod, quamvis expressis legum verbis mercimonium rusticis non sit ademptum, ratione tamen, sententiâ ac mente earundem id factum videatur *arg. l. 6. §. 1. ff. de V. S. l. 17. ff. de Legib.* Imò si verum est, ut opinatur Carpz. *c. l. n. 5.* Commerciorum jura esse privilegiata & non nisi iis concessa, qui exercendorum mercatum licentiam Principis indulta meruerunt *l. un. C. de nund. l. 1. ff. eod.* sequitur, cum nullibi rusticis jura commerciorum ac civitatis concessa reperiantur, eadem exercere regulariter iis non licere. At, secundum quod attinet, negamus solis Nobilibus mercimoniorum tractationem esse ademptam, sed & plurimis aliis ad promovenda urbium incrementa. Regula vero quod unius inclusio sit alterius exclusio fallit, si, ut hic, eadem utriusq; sit ratio. Vid. Barbof. *lib. 2. axiom. 2. §. 39.*

CAP. III.

QUALIS ET QUÆNAM NEGOTIATIO NOBILIBUS SIT ADEMPTEA?

§. 1. Posteaquam hætenus in Capite præcedenti absoluta Subjecti tractatio, consequens erit ut perlustremus, quodnam sit hujus interdictionis Objectum. De quo ut evidentius constet brevissimis præmonendum, quod Mercator, quisnam propriè sit, describatur *in can. 11. dist. 88. Scan 3. caus. 14. quest. 4. cap. 10. X. de Verbor. signif.* quam descriptionem plenius tradunt & explicant Strach. *de mercat. p. 1. n. 2. & seqq.* Marquard. *de Jure Merc. l. 1. c. 7. n. 8. & seqq.* Alciat & Goëdd. *in l. 66. de V. S.* Quamvis autem Mercatorem & mercaturam à Negotiatore & negotiatione strictè loquendo differre, negotiationisq; vocabulum longe latius patere, & ad plures, qui referuntur *in l. 1. §. 1. ff. de Tribut. act. l. 3. l. 5. ff. de Instit. act.* extendi posse, ad quos Mercatorum nomen non pertinet, testes sint Felin, *in præm. Decret. in fin.* Perez. *in prælect. ad tit. C. Negot. ne milit. n. 1.* Strach. *de merc. p. 1. n. 5.* Marquard. *de Jure mercat. l. 1. cap. 7. n. 11. & 42.* interdum tamen hanc differentiam non exactè servari, sed sæpe confundi hæc vocabula, apparet *ex can. 11. distinct. 88. Rubr. & l. 1. junct. l. 3. C. de com. merc.* maximè de communi loquendi usu, ex quo hac de re multum judicabitur. Strach. *c. n. 5. in f. & n. 12.* Marquard. *d. cap. 7. n. 6. & 42.*

§. 2.

§. 2. Quā ratione & nos perinde ac promiscue hæcæ voculas accepturi, concludimus, quod Nobilibus omnis Negotiatio & mercimonium, quod urbibus & illarum incolis perniciosum est, & difficiliora efficit inter plebejos & Negotiatores commercia, sit prohibitum *l. 3. C. de Commerc. & mercat. l. 12. §. fin. C. de cohort. princ. Tabor de jur. Cerevis. cap. 6. §. 5.* Hinc apparet, nec silentio prætereundum, quod Nobilibus neutiqvam sit interdictum, si vinum, oleum, frumentum reliquosq; fructus in agris natos ad communem usum distraxerint, vel si rem aliquam mobilem, aut immobilem, aut se moventem, quam ad suum suæq; familie vidum ac amicum antè compararunt, postmodum dividant, quia inutilis sibi esse contigit. *Guttier. de gabell. quæst. 93. n. 17. Klock, de Contribut. cap. 12. n. 266. & seqq. Tab. cit. l. §. 5.*

§. 3. Cum verò non uno modo accidat, ut civibus, vel ut vulgo loquuntur, civitatenibus per Nobilium negotiationem nocitum dicatur, quasdam Negotiationum prohibitarum recensisse species juvabit. (a) Ergò huc pertinet Monopolium, quo potissimū spectat *d. l. 3. C. de Commerc. Tab. de Jure Cerev. cap. 6. §. 5.* cuius species enumerat *Klock, d. Aerar. lib. 2. c. 26. n. 2. 3. & seqq. Menoch. d. arbitrar. judic. quæst. l. 2. cap. 569. Decian. in tract. crim. lib. 7. c. 21. Ahasver. Fritsch. de Monop. cas. 3. n. 22. & seqq. & cap. 12. & 13.* Si enim illud exercere neq; publica neq; privata auctoritate etiam plebejis permissum sit *l. unic. C. d. Monop. Rec. Imper. August. d. Anno. 1548 & Recess. Imper. Francofurt. d. Anno 1577. tit. 18. Eckolt. in compend. Pandect. Tractat. tit. ad Leg. Jul. de annon §. 5.* multo magis Nobiles ab eo prohibebuntur: hi enim, ut puta potentia, divitiis opibusq; splendidiore, omnia explorarent, excogitarent, tentarent, ut alios in lucris captandis prævenirent, cogerenturq; tum cives è manibus istorum carius res comparare, quod valde noxium urbibus est, & admodum difficilem reddit inter plebejos & mercatores commerciorum usum.

§. 4. Hac ducti ratione inferimus, quod neq; Nobiles suos subditos ad molendum in suo molendino, aut panem coqvendum in suo forno, aut ad cerevisiam non ab aliis, quàm à se emendam, aut ad alia Similia compellere queant, etiamsi jam per longū temporis intervallum

C

id

id sua sponte fecerint subditi: sunt enim hi actus naturalis libertatis & merae facultatis, ex quibus nec obligatio, nec quasi possessio facile quæritur, etsi per mille annos frequententur. *arg. l. 2. ff. d. via publ. Et in publ. lib. Dd. neq; illi in juris necessitatem vel jurisdictionis vim sunt detorquendi arg. l. 41. ff. d. ad quiv. vel amitt. possess.* Cothmann. *Resp. Acad. 27. n. 171.* Et cogere ad hæc talia sapit monopolicam iniquitatem. *Sichard. ad l. unic. C. d. Monop. n. 7. Socin. sen. vol. 2. Consil. 272. n. 5. & 6. Menoch. de arbitr. jud. quæst. libr. 2. cent. 6. cas. 569. n. 18. Klock. de arar. lib. 2. cap. 26. n. 6. Vid. hac de re latiora apud Carpz. lib. 1. Resp. 43. Boër. decis. 125. Köppen. decision. quæst. 19. Rauchbar. part. 1. quæst. 27. Mev. p. 1. decis. 60. & 61.*

§. 5. Speçiat huc (b) Maceratio hordei, Braxatio cerevisiæ ejusque venditio **Das Mülken/ Brauen und Schencken**: id enim commercii genus non de consuetudine tantum, aut statutis provincialibus, sed ne quidè ex ratione Juris Civilis Nobilibus regulariter congruere contra Schraderû *part. 2. Consil. 44* concludimus cum Tabore *de Jure Cerev. cap. 6. §. 9. in fin.* Et ut alias rationes, initio adductas, taceamus, illa Negotiatio, ex qua metuendum ne urbibus oriatur pernicietas, plebejjsq; difficilior constituatur commerciorum conditio, sine dubio Nobilibus interdicta est *l. 3. C. de commerc.* jam verò & maceratione hordei & venditione cerevisiæ costæ à Nobilibus facta, ineffabile civibus metuendû damnum: cum enim tum primum frumentum ad braxandum necessarium non adveheretur, deinde cerevisia in urbe cocta non aveheretur, nihil sperandum certius, quàm quod detractis hisce sustentationis adminiculis, cives inter sterilia mœnia ad extremam paupertatem facile sint perventuri, maximè cum hæc sint præcipua Civium commercia & commoditates, quæ proinde iis intercipi aut minui ab aliis non debent. *arg. l. un. C. d. pisfor. l. 12. §. 3. C. de adis sic. privat.* Und sind die Städte unter anderen auf backen und brauen/ als gemeine bürgerliche Nahrung und Handtierung gen gewidmet/ Teste Tab. *d. Tract. cap. 3. §. 3. & Mev. p. 2. decis. 2. quod & jus Saxonicum Elector. in Ordinat. prov. de Anno 1555. Rubr. Et. t.* Von brauen und schencken und anderen bürgerlichen Handtierungen auf dem Lande/ clarissime abünderq; restatur. Confirmat hanc nostram assertionem communis Doctorum Schola, inter quos præter

præter Tabor. & Mev. *l. c. l. l.* Franc. Pfeil. *Consil. 202. per tot.* Carpe. p. 2. *Constit. 6. def. 4.* Berlich. p. 1. *decif. 31.* Möller. *l. 4. semestr. cap. 17.* Schurf. *cent. 1. Conf. 32. n. 3.* Hartm. Pistor. *observ. 49.* Rauchbar. p. 2. *quæst. 12 n. 6.*

§. 6. Sed gravissime ob stare, Nobilibusq; patrocinari videtur, quod illi hordeum non aliunde coemant, sed ex suis agris perceptum macerent, coquant & divendant, idq; non min9 libere facere posse censeantur, quam si ex lacte caseos & butyrum, aut ex uvis vinum præparatum ad communem usum distrahant. Verùm respondemus, quamvis hordeo proprio utantur Nobiles, ratio tamen prohibitionis antea allata nihilomin9 suo stat talo, & maxima frumenti pars à nobilibus & rusticis coemenda. Deinde per præparationem casei, butyri & vini, utpote rusticas operas, nulla infertur urbibus pernicies, sicut coctione cerevisiæ, ad quod mercimonii genus civitates sunt destinatæ; deniq; non eadem est lactis & uvarum, quæ hordei ratio; siquidem lac & uvæ, nisi ad alios usus aptata distrahantur, per naturam servando servari diutius nequeant, ipsaq; necessitas s'vadeat, ut in aliam speciem redigantur; hordeum verò aut per se vendi, aut in acervum congeri potest. Vid. *Tom. 2. Illustr. Consil. à Wolffgang. Richt. edit. conf. 38.* & quæ exinde desumpsit Tab, *cit. Tract. cap. 3. §. 2. 6. 7.*

§. 7. Sic quoq; (c) Nobiles quamvis pellibus ovium & vaccarum, ut & lana ovium præpolleant, pelles tamen præparare pannumq; conficere, tingere ac usibus civium accommodare non queunt. Tab. *dist. cap. 3. §. 7. in fin.* quemadmodum nec alias artes mechanicas aut viles, potissimum in urbium detrimentum vergentes, exercere possunt Bald. *in l. 3. C. d. commerc.* Wurmsfer. *libr. 1. tit. 27. observat. practic. 2. n. 7.* Mynsing. *cent. 6. observ. 54. n. 5.* Fr. Pfeil. *conf. 202. n. 33.* Limn. *de jur. publ. tom. 1. l. 6. cap. 5. n. 83.* Multo minus (d) Tabernam publicam variis mercibus ad communem utilitatem instructam adornare ipsis permissum erit.

§. 8. Cæterum non tantum tenuem negotiationem Nobilibus ademptam credendum est, sed etiam uberem atq; copiosam: Etsi enim plurimi, quibus novissime accedit Brunnem. *in d. l. 3. C. de commerc.* contrarium teneant, ea propter, quod tenuis & sordida demum negotiatio, solius sordidi quæritus gratia inita, non vero

Magna nobilitatem obnubilare præsumatur Strach. *d. Merc. part. 2. n. 17.* assertio tamen nostra ex subjecta ratione *d. l. 3. C. d. commerc. & mercat* non obscure apparet. Nam non tam ideo Nobilibus ibidem negotiationis exercitium denegatur, quod exin' eorum obumbretur aut deminuat dignitas, uti putat Brunnem *c. l. quàm quod urbi- bus detrimentum & perniciës inferatur, civibus alimenta detrahantur & commercia minuantur Berlich. p. 1. decis. 31. n. 2. Francisc. Pfeil d. Conf. 202. n. 98. Tabor. cit. cap. 3. §. 3* jam verò eos, qui amplam exercent mercaturam, magnaq; copia negotiantur, magis, quàm qui minutatim duntaxat, vel ad ulnam, mensuram, numerum & pondus merces distrahant, civitatibus præripere & subtrahere necessaria vitæ subsidia extra omnem dubitationem positum est; & proinde multo magis ad illos pertinebit hæc prohibitio, *arg. l. 32. ff. ad Leg. Aquil. l. 27. §. 2. ff. ad l. Jul. d. adulter. accedit quod d. l. 3. C. de commerc. & mercat.* generaliter & indistinctè loquatur, idcirco nostrum non est, sine necessitate aut evidenti ratione distingvere *arg. l. 8. ff. de publ. in rem act.*

§. 9. Quid quod? dicta prohibitio obtinet quoq; siue Nobiles per se, siue per alios v. g. Institores, ministros, uxorem aut liberos negotientur: (1) enim notissimū est, illud quod suo nomine quis exercere prohibetur, nec per subjectam personam agere debere *l. 2. §. 1. ff. de administ. rer. ad civit. per. l. un. C. quib. ad conduct. præd. fisc. l. 4. §. 6. ff. de offic. Procons. l. 38. ff. de bon. libere l. 46. ff. de contrab. empt. l. 22. ff. quæ. in fraud. cred. l. 46. §. 2. ff. de Jure fisci.* (2) Isto casu, quando Nobiles, per alios mercaturam exercent., rationi prohibitiæ *l. 3. C. de commerc. & mercat.* pariter locus est, atq; in superioribus, idemq; periculum, ne opibus & potentiâ sua freti, totam ad se trahant commerciorum utilitatem, & sic plebejis difficilius reddant commercium. Jam quotiens reperitur eadem ratio in casu non expresso, quæ in casu expresso, tunc dicta in expresso extenduntur etiam ad omissum. *arg. pr. Inst. de legit. patron. tut. l. 13. ff. de Leg. l. 6. §. 1. ff. de V. S. Wesenbec. part. 1. Conf. 42. n. 19. Cravett. Conf. 62. n. 14.* (3) Si vicariorum largiamur operam Nobilibus, facile Legibus fraus fieret illæq; illuderentur contra *l. 3. §. 3. & l. 7. §. 3. ff. Ad Scrum Macedon. & una via concederetur, quod alterâ esset prohibitum contra cap. 48. de Reg.*

Reg. 7. in 6. l. 6. in f. C. de natur. lib. Adstipulatur huic sententia
 Jus Saxonicum Elect. in Ordinat. Provinc. tit. von Brauen / schens
 den / S. darumb / ut & plurimi Doctores, inter quos Klock. de Con-
 trib. cap. 12. n. 262. Jof. Nold. de Statu Nobil. cap. 17. §. 2. n. 175. Fran-
 cisc. Pfeil. Consil. 202. n. 97. Arum. de Jur. publ. discurs. 15. conclus. 30.
 lit. b. Math. Stephan. de Nobil. civil. cap. 7. n. 5. & seqq. Bocer. de
 Regal. cap. 2. n. 56. Tabor. de jure Cerevis. dict. cap. 3. §. 2.

§. 10. Secessum equevidem ab hac sententia facere videntur Ti-
 raqv. de Nobil. cap. 27. n. 7. & seqq. Mynsing. cent. 6. obs. 54. n. 15. &
 16. Guttier. lib. 1. Pract. quæst. 137. n. 20. Alciat. de præsumpt. reg. 1.
 præsumpt. 48. n. 16. Brunnem. in l. 3. C. de commerc. Verum si mo-
 do distingvamus inter quæstionem: an æq; indecorum sit Nobilibus
 si negotientur per alios, ac si per se ipsi, & inter quæstionem: an
 Nobiles in præjudicium civitatum, quamvis non per semetipsos,
 tamen per alios negotiationis exercitio operam impendere posse
 sint, citati Doctores in nostram sententiam trahi facili nego-
 tio queunt. Nos enim tantum negamus, posse Nobiles
 tam per se ipsos, quam per alios, salvo civitatum commodò, ne-
 gotiari, non verò asserimus, quod æq; indecorum sit Nobilibus, si ne-
 gotientur per alios, atq; si per se ipsos, quò respexisse intelliguntur alle-
 gati Doctores & imprimis Mynsing c. l. & tunc l. 8. §. 1. ff. de vacat.
 & excusat mun. & l. ult. ff. de excusation. tit. ab eo citata aliquid forte
 concludent, regulaq; illa, quod non possum per me, id nec per alium
 licet, officium perdet, quoniam, quando quæritur, quis dicatur vilis ob
 aliquem actum, considerandus est actus ipsius personæ, non alterius, ut
 rectè illam regulam limitat auctoritate Alciati c. l.

CAP. IV.

QUANDO & QUALIS NEGOTIATIO NOBILIBUS PERMISSA?

§. 1. Quamvis verò huc usq; demonstratum, Nobilibus nego-
 tiandi potestatem, urbibus maxime perniciosam ademptam esse, sunt
 tamè multi casus, quibus isdem permittitur, illudq;, quod de prohi-
 bita eorum negotiatione dictum, limitatur. Sic (1) Nobiles navare
 operam negotiationi possunt ad sustentationem vite suæ vel necessi-
 tatem

tatem familiae Mev, ad Jus Lube. lib. 3 tit. 6. art. 7. n. f. Marquard. de Jure commer. lib. 1. c. 10. n. 81. & seqq. Bocer. de Regal. cap. 2. n. 5. Möller, lib. 4. semestr. cap. 17. Hinc, licet ut supra monitum, Nobilibus maceratio hordei & braxatio cerevisiae adempta sint, id tamen verum esse existimandum de braxatione, quae sit ad venditionem lucri quærendi causa sum scilicet Kauff/ uti vulgo loqui solemus, non verò de ea, quae sit ad necessitatem seu usus domesticos vor Ihre Haushaltung/ quod etiam disertis verbis in Ordinatione Provinciali Elect. Saxon. de Anno 1555. tit. von Brauen und schencken §. darumb / continetur. Et hanc communem esse sententiam tradunt Carpz. p. 2. Const. 6. def. 7. Rauchbar. p. 2. quest. 12. n. 1. & 8. Berlich. part. 1. decis. 31. n. 1.

§. 2. Sed quæritur, si Nobilis in civitatem ex pacto fuerit receptus, ut cerevisiam ei coquere non liceat, an nihilominus tantum cerevisiae braxare, quantum pro familia opus habet, possit? Negat id Möller. d. libr. 4. semestr. cap. 17. ea propter, quod nulla adhibita distinctione coctio cerevisiae ipsi prohibita, quam ipsam tamen facile fuisset contrahentibus exprimere, si voluissent. Sed contrarium, quod, non obstante tali pacto, id permittitur sit, amplectuntur Hartman. Pistor. Observ. 49. n. 13. Carpz. p. 2. Const. 6. def. 7. n. 2. Marquard. de Jure Merc. d. l. 1. c. 10. n. 66. Mev. p. 2. decis. 2. Tabor. d. Tr. cap. 2. §. 3. pacta enim ex communi observantia & consuetudine interpretationem recipiunt arg. l. 6. ff. d. R. J. Wesenbec. p. 2. cons. 74. n. 2. Accedit, quod negotiationis usus pro necessitate sit meri juris Gent. in negotiis autem Juris Gentium Nobiles non debent esse deterioris conditionis ac plebeji Marq. cit. cap. 10. n. 61. & seqq.

§. 3. Nobiles etiam (2) negotiari possunt, si consuetudine & moribus loci illud sit receptum, & tunc usurpatio rei mercatoriae non modo est justa sed etiam honesta. Tiraquell. de Nobil. cap. 33. n. 21. Klock. de Ænur. lib. 2. cap. 15. n. 18. & seqq. Marq. c. cap. 10. n. 87. & seqq. Bocer. de Regal. cap. 2. n. 54. Mynsing. cent. 6. obs. 54. n. 11. Nold. de Nobil. cap. 17. §. 2. n. 175. Anton. Peregr. vol. 3. Conf. III. n. 6. Consuetudo etenim inveterata vim legis obtinet, derogatq; legi priori l. 32. pr. & §. 1. ff. d. L. L. §. 11. Inst. d. J. N. G. & C. Unde consuetudo facere de illicito licitum dicitur in c. 7. caus. 32. quest. 4. Guttier. l. b. 3. pract. quest. 29. n. 22. Cravett. Conf. 145. n. 12. Imo dignitas

tas censetur quicquid ex consuetudine sic æstimatur. Bertrand. vol. 3. Conf. 2. n. 20. Neq; assentiendum Francisc. Pfeil. conf. 202. n. 102. quasi mercimonium probrum aliquod naturale contineat, ut consuetudo in illo nihil possit arg. l. 42. ff. de V. S. Hinc Nobiles Venetos & Genuenses licitè & citra Nobilitatis etiam imminutionem mercaturam exercere ex Cœpolla tradunt Mynsing. & Tiraqvell. c. c. ll. quibus Patritios Augustanos, Noricos, Lubecenses & alios adjungit Marq. cit. cap. n. 89. Idem de Nobilibus Bohemiæ, circa braxationem cerevisiæ ex Zach. Theobaldo part. 3. Belli Husit. cap. 27. referre Tabor. cap. 2. §. 8. & cap. 3. §. 4.

§. 4. Atq; hæc, quod consuetudine loci mercatura Nobilibus honesta sit atq; licita, maximè procedunt, si vel qualitas regionis id aliter non tulerit, in qua scilicet nulli alii reditus, quam ex mercatura haberi possunt Myns. c. l. n. 11. Guttier. lib. 1. p. 137. n. 19. Marq. cit. cap. 10. n. 85. & 86. vel si fiat, ut loquuntur, en gros, & per ministros seu Institores Marq. c. l. n. 89. Klock. de ar. lib. 2. cap. 25. n. 27. Honded. vol. 2. Consult. 87. n. 60. & 61. Et hoc casu non procedit regula ex l. 2. §. 1. de administr. rer. ad civit. pertinent. & aliis superius cap. 3. adducta, quando enim consuetudo mercimonium Nobilibus permittit, tanto fidentius illud per ministros exercent, regula quippe dicta obtinet in terminis durantis prohibitionis tantum, more vel alio modo non relaxata, ut explicat Tabor cap. 3. §. 4. in f.

§. 5. 3. Nobiles licitè negotiantur, si per præscriptionem contra civitates illud jus quæsierint. Carpz. p. 2. Conf. 6. def. 4. n. 4. & lib. 1. Respons. 37. Mev. p. 2. decis. 3. n. 6. Berlich. d. decis. 31. n. 7. Schrad. vol. 2. Conf. 44. n. 46. Quæ præscriptio, sicut & aliæ contra civitatem 40. annorum spatio compleri videtur l. 4. C. d. prescript. 30. 40. ann. jundt. Nov. iii. cap. 1. Nov. 131. cap. 6. l. fin. C. d. fund. patr. l. fin. C. de fund. rei privae. ubi Brunnem. Rittershnl. ad Nov. part. 11. cap. 1. n. 17. Berlich. part. 2. conclus. 8. Fachin. lib. 8. contr. cap. 3. Hahn, ad Wefenbec. iii. de usurp. n. 7. quod tamen de Jure Saxonico quoad Jus braxandi post Ordinat. Provinc. de Anno 1555. tit. von brauen und schencken/ hodie non procedere, sed immemorabilem requiri præscriptionem docet Carpz. lib. 1. Resp. 38. per tot. maximè cum teste Treutlero conf. 107. n. 2. jus Braxandi in Saxoniam Regalibus annumeretur, quem allegat & sequitur, Tabor d. Tract. cap. 2. §. 4.

§. 5.

§. 6. Pollent quoq; (4) Nobiles negotiandi facultate, si illam privilegio seu speciali concessione vel in vestitura superioris impetra-
verint. *Mev. part. 2. decis. 3. n. 5. Carpz c. def. 4. n. 4. Schrad. d. Conf. 44. n. 46.* Hinc in plerisq; Germaniæ locis solet nonnun-
quam investitura & privilegio concedi **Ein Brauhaus / Mülz-
haus / Schendstätt / Schendrecht / Knichen.** *de pact. invest. part. 2. cap. 4. n. 107. Wehner. in observ. pract. voce Bier in fin.* Unde si eidem non solum coquant pro familia sua cerevisiam, sed & eam aliis diven-
dant, dum jure suo utuntur, nulli injuriam inferunt. *l. 55. l. 155. ff. d. Reg. Jnr. nec Nobilitati suæ ullam accersunt maculam Myns. decab. 15. Resp. quæst. 3. n. 77. Marquard. d. c. 10. n. 65. Limn. de jure publ. tom. 1. l. 6 cap. 5. n. 29. Dissentire quodammodo intelligitur Fichard. Tom. 2. conf. 51. & cum eo Tabor c. 11. cap. 3. §. 10. qui tamen cap. 2. §. 6 nostræ adstipulatur sententiæ*

§. 7. Item (5) ex transactione cum civitatibus proximis facta jus mercimonii & in specie Braxationis Nobilibus competere dicen-
dum, ut in simili consuluit Hieron. Schurf. *cent. 1. conf. 32. n. 5. & seqq.* idq; ex *Ordin. Provin. Elect. Saxon. Aug. de Anno 1555. tit. von
Brauhen und Schenden / §. weil steh verb. fin.* patet: per transacti-
onem enim jus alterius tolli *cap. 1. de Transact. cap. 1. d. litis contest. in
6. indubium est*; cum ejus non minor sit vis atq; auctoritas, quam rei
judicatae *l. 10. C. de re judic. l. 56. ff. eod.* *Conf. Marp. vol. 3. conf. 34.
n. 104.* Hæc tamen transactio à solis Consulibus & Senatu, insciis reli-
quis civibus fieri haud potest: quod enim omnes tangit ab omnibus
approbari debet *l. f. C. d. auct. prest.* Unde nec cives ex mutuo sim-
pliciter obligantur, nisi eorum accesserit consensus *l. 27 ff. de reb. cred.*
ubi *Dd. Hartman. Pistor. p. 1. q. 37. Mev. p. 3. decis. 229. & seqq.* Et
cui administratio concessa est, eidem non statim alienatio, cujus species
est transactio *l. 1. §. 6. ff. si quid in fraud. cred. l. 4 C. d. pred. mio-
nor. Gaill. l. 2. observ. 72. n. 2.* permittenda erit. *Klock. vol. 1. conf. 11. n. 122.*
Quotienscunq; ergo aliquis actus civibus præjudicialis occurrit vel
omnes cives, vel ad minimum Tribuni sunt convocandi *Coler. d. proc.
execut. part. 2. cap. 3. n. 349.*

§. 8. Deniq; (6) titulo Emptionis vel cessionis Nobiles jus
Mercandi & præcipuis Braxandi consequi posse docet *Berlich. part. 1.
decis. 31. n. 3. & seq.* Ubi tamen, quando ibidem sub *n. fin.* definitum
legitur,

legitur, quod extra pagi districtum illud exercere nequeant, notandum, hoc non generaliter de omni casu, quo illa facultas Nobilibus quæritur, esse accipiendum, sed de eo demum, quando cedens ampliore facultatem non habuit: alias enim, ut intelligatur quousque jus à Nobilibus obtentum extendi debeat, vel consuetudo ipsa, vel privilegium ac investitura, vel transactio potius erit inspicienda.

CAP. V.

DE EFFECTU & POENA USURPATÆ A NOBILIBUS PROHIBITÆ NE- GOTIATIONIS.

§. 1. Cum igitur quotidiana comprobet experientia, nulla re ferme magis in societate civili disidiis & tumultibus, publicam quietem turbantibus, januam aperiri, quam si distincta antiquitus alimonia media alter alteri præscindat, inter præcipua bonæ Politicæ referunt prudentiores, ut in tempore ejusmodi intestino bello occurratur. Hinc quomodo consultum civitatibus sit, si contra manifestas Imperatorum sanctiones negotientur Nobiles, quomodoque coercerentur, paucissimis adhuc adjiciamus. Primum ergo in usurpatores prohibita negotiationis Nobiles Mandatis pœnalibus sine clausula animadvertendum *Mev. part. 2. decis. 3. & p. 6. decis. 156. Tabor. de Jure Cerevis. cap. 2. §. 9. in fin.* Hæc enim adversus ea facta, quæ certo jure sunt prohibita, & nullo modo justificari queunt decerni solent. *Ord. Cam. part. 2. tit. 23. Petr. Frider. Miad. de Mandat. lib. 2. cap. 11. Schwanneman. in Obs. Cam. 125. & seqq.*

§. 2. Sed apprime hic cum *Mevio cit. decis. 3.* distingvendum, utrum Nobilis nunc primum incipiat negotiari, an verò jam per aliquod tempus negotiandi licentia usus sit. De priori tantum casu accipienda, quæ de mandatis sine clausula afferuntur, non verò posteriori casu id obtinebit, partim quia possessio sine causæ cognitione & legitimo processu, utpote cujus ingens commodum est §. 4 *Inst. de Interd.* nemini auferri debet *l. 1. l. ult. C. si per vim vel al. mod. l. ult. ff. de acquir. possess. l. fin. C. d. R. V.* ut late deducit *Cothmann. vol. 2. Resp. 91. n. 9. & seqq.* partim quia fieri potest, ut Nobilis istam

D

ne-

negotiandi facultatem non injustè exercent, sive ex concessione superioris, sive præscriptione sive alio modo.

§. 3. Deinde Nobiles commercia exercentes privilegia Nobilitatis, tanquam suo ordini renunciantes, amittunt, per textum elegantem in *l. 16. C. de re Milit. Et l. un. C. Negotiat. ne mil.* Vid. Nold. *de Stat. Nobil. cap. 17. §. 2. n. 174.* Strach. *de mercat. part. 3. n. 14.* Klock. *de contribut. cap. 12. n. 258.* Reinking. *de Regim. sec. Eccles. lib. 1. clas. 5. cap. 9. n. 35.* Privilegium namq; amittitur per actum contrarium *l. 27. C. d. Decurion.* Meischner. *tom. 2. lib. 1. decis. 6. n. 124.* Menoch. *lib. 6. præsumpt. 41. n. 3.* Hinc consequitur, quod Nobiles ejusmodi, non secus ac alii cives plebeji, civitatis oneribus sint obnoxii, & ad omnes collectas & contributiones solvendas omnino teneantur; uti ex Luca de Penna id allegat & sequuntur Francisc. Pfeil. *cons. 202. n. 33.* Myusing *cent. 6. obs. 54. n. 9.* Consentit Tiraqvell. *de Nobil. cap. 33. n. 4.*

§. 4. Quid quod? exuuntur etiam privilegio Fori, & Magistratui oppidanò ordinario pariter atq; reliqui civitatis incola morem gerere, seq; sistere compelluntur. *arg. l. 7. C. d. Jurisdic. omn. Jud.* Strach. *de Mercatur. p. 3. n. 12. Et seqq.* Quod itidem de Academicis & Studiosis Cothmann. *Respons. Acad. 40. n. 13.* Perez *in prælect. Cod. ad tit. negot. ne milit. n. 7.* Brunnem. *ad Leg. un. ibid.* & de Clericis Stracha *d. p. 3. n. 8. Et 9.* Klock. *de Contrib. cap. 12. n. 254.* affirmant & latius probant.

§. 5. Cæterum ut antè dicta procedant requiritur, ut Nobiles, vitam Nobilitatis splendori convenientem, in totum deserendo frequentè & principaliter negotiationem exercuerint, non autem sufficit, si semel, aut iterum, aut secundario id fecerint Thoming. *vol. 1. Consil. 24. n. 2.* Jos. Nold. *de Nobil. cap. 17. §. 2. n. 174.* Quemadmodum enim una hirundo non facit ver, ita nec ex uno vel altero negotiationis aut mercaturæ actu aliquis statim negotiator aut mercator dicendus est. *arg. l. 1. §. 1. ff. de Tribut. act. ibiq; Gloss.* Vid. late Marant. *in spec. aur. part. 4. distinct. 9. n. 57. Et seqq.* Nomina enim verbalia alicujus officii significativa non nisi per assiduitatem, actuumq; frequentiam verificantur, ad quam sententiam omnes fere juris interpretes abiisse, pluribus demonstrat Strach. *d. Mercat. part. 1. n. 7.* Adde

Mara

Marquard. *de Jure commerc. lib. 1. cap. 7. n. 38. & seqq.* Quod ipsam
in specie quoad Academicos probe notandum esse, monet Cothman.
Resp. Acad. 21. per tot. & Resp. 4. n. 13. Nam si illi non omne princi-
paliter studium & curam mercimoniis impendant, sed suæ profes-
sionis simul & præcipue incumbant, in totum immunitatibus & privi-
legiis nequaquam exinde privari debent, sed saltem mercaturæ istius
intuitu cæteris civibus sunt æquiparandi.

§. 6. Illud ultimo addendum, quod Nobiles negotiationes
exercentes ad torneamenta & ludos equestres ab Henrico Aucupè
circa annum Christi 938., devictis Hunnis, in Urbe Magdeburgensi
institutos accedere, veluti Nobilitate extorres, nullatenus poterant.
Klock. *d. Contrib. cap. 12. n. 255.* Pfeil. *consil. 202. n. 37.* quo etiam
collimant rithmi germanici de Torneamentis, quos ex Dressero refert
Limæus *de Jure publ. tom. 1. lib. 6. cap. 5. n. 137.*

• • • • •
Ich sprach mein Herr / thut mir bekandt /
Die Zwölff stück in dem Thurnter /
Freundlich der Herolde Antwort mir /
Wer Kezerischen Glauben hat /
Der veracht Käyserlich Mandat /
Wer Frauen schände / schwächt eine meyde /
Wer Siegel fälscht und schwere meyneydt /
Wer Feldflucht lest sein Herrn in Noth /
Wer seinen Bethgenossen ertödt /
Wer beraubt Kirchen / Wierwen und Wäysen /
Wer unabgesagt thut Kriegen und Reisen /
Wer neuen Zoll / Mut und Beschwerd anricht /
Wer ohne Eh sitzt und Ehricht /


Wer


Der verkaufft/Wucher und Wechsel treibt/
Wer nicht in Edlem Stamme bleibe
Mit heyrathen / der sein Geschlecht
Nicht von vier Stammen Edel brächt.

Coeterea, quæ fortean circa hanc Nobilissimam
pariter ac utilisimam materiam excuti possent,
pertexere temporis angustia & instituti ratione
prohibitus filum abrumpo,

SOLI DEO
GLORIA!







Marquard. *de Jure commerc. lib. 1. cap. 7*
in specie quoad Academicos probe nota
Resp. Acad. 21. per tot. & Resp. 4. n. 13. A
paliter studium & curam mercimoniis i
onismul & præcipue incumbant, in to
legiis nequaquam exinde privari debent,
intuitu coeteris civibus sunt æquiparandi

§. 6. Illud ultimo addendum,
exercentes ad torneamenta & ludos ec
circa annum Christi 938., devictis Hun
institutos accedere, veluti Nobilitate ex
Klock. *d. Contrib. cap. 12. n. 251.* Pfeil
collimant rithmi germanici de Torneam
Limoxus *de Jure publ. tom. 1. lib. 6. cap*

Ich sprach mein Herr / t
Die Zwölff stück in dem Ehu
Freundlich der Herolde
Wer Kezerischen Glauben h
Der veracht Käyserlich
Wer Frauen schände / schwäc
Wer Siegel fälscht and
Wer Feldfläcche lest sein Her
Wer seinen Bethgenoss
Wer beraubt Kirchen / Wien
Wer unabgesagt thut K
Wer neuen Zoll / Maut und
Wer ohne Eh sitz und

Quod ipsunt
met Cothman
omne princi
sua profesia
tibus & privi
ercaturæ istius

negotiationes
nrico Aucupè
Magdeburgensi
enus poterant.
37. qvo etiam
Dressero referet

andt/

r/

de/

eynenndt/

h/

Bäysen /

Reysen/

anricht/

Wer

